

19. 312
Q. D. B. V.

De

PROVIDENTIA DEI
CIRCA
MINIMA,
DISSERTATIO THEOLOGICA,

Quam
in Academia Lipsiensi,

MODERANTE

DOMINO

D. ADAMO RECHENBERGIO,
Theol. Prof. Primar. Capituli Misen.
ingenui Canonico, Alumn. Elect. Ephoro,
Academ. Decemviro, & maj. Princip.
Colleg. Collegiato,

D. III. April.

H. L. Q. C.

P. P.

JOH. JOACHIMUS GROT,
Bargtheylensis Holsatus.

LIPSIAE,
TYPIS BRANDENBURGERIANIS.
Anno 1710.



PROVINCIA D

MICHAEL

DISCIPULUS ET SOCIE

IN ACADEMIA LIBRARIA

DOMINO

D. ADAMO RICHENBERGO

TheoPiotPiniqCapitoliWineu

MedoviGnolicoAlettaHegelBpoto

KardmDcaventoGmmtHnqpp

Collg. Colligis

A M A

H E O C

A S

JOH. IOACHIMUS GROT

per mezz' etate Holtz

1713
TYPIS BRUNDENI BURGESSIANIS

Anno 1713.



DE
PROVIDENTIA DEI
CIRCA
MINIMA.
INDEX RERUM,
IN HAC DISSERTATIONE
TRACTANTUR.

1. *DEI existentia universique
hujus creatio in hac tractatione
presupponitur.*
2. *Hanc necessario DEI providen-
tia & gubernatio universi conse-
quuntur.*
3. *DEUS, ex profano profanorum
hominum fastidio, Natura ap-
pellatur; mundi anima com-
mentum est.*
4. *Quæstio nostra; an DEI pro-
videntia ad minima extendatur?
ad objectum ejus attinet.*
5. *Providentia definitio ex Neme-
sio & Jo. Damasceno duplex
adducitur.*
6. *Posterior illius definitio hic ad-
probatur.*
7. *Actus providentiae proprii inde
declarantur.*
8. *His subsernuntur tria DEI at-
tributa; omniscientia, volun-
tas & omnipotentia.*
9. *Vocabulum providentiae & ejus
synonyma in literis actus il-
lius connotant.*
10. *Salvianus Presbyter divinos
istos providentia aetius tribus
argumentis prolixè probat &
illustrat.*
11. *Conservatio universi, per imme-
diatum DEI influxum adversus
Limi-*

A 2

- Limborchium assertur.
22. Objectum providentie in hac questione nostra est restrictum ad minima.
 13. Platonis divisio providentie juxta tria diversa objecta, Sc. Scriptura fundamento destinatur.
 14. Aristotelis & Epicuri opinio de providentia S. literis adversatur.
 15. Aristoteles providentiam DEI circa sublunaria negavit, quam tamen ejus interpres afferuerunt.
 16. Christiani providentiam DEI, tum circa statum naturae universa credunt.
 17. Tum circa statum civilem, & maxime circa statum Ecclesiæ extra dubium ponunt.
 18. Sed Hieronymus illam circa minima & res vilissimas in regno (ut vocare) nature negavit.
 19. Cum Hieronymo hac in parte fecit Arnobius Afer.
 20. Item R. Maimonides, Thom. Aquinas & P. Molinæus.
 21. Quorum sententia ex S. literis refutatur.
 22. Refutatio, hac a pari desumpto argumento, illustratur.
 23. Plures refutationis hujus adducuntur rationes.
 24. Adversa opinio tribus de causis a Nemesio confutatur.
 25. Plinii simul error notatur acrefelliatur.
 26. Nostra sententia ex Augustino confirmatur:
 27. Item ex Cyrillo Alex. Luther. & Ambroſio.
 28. Major tamen DEI circa hoc universum, & præcipue erga homines, quam res viles, curat.
 29. In homine etiam minima, ut lineamenta faciei diversa curat.
 30. Item hominum lacrymas.
 31. Nec non, quod mirandum, omnes eorum cogitationes.
 32. Et verba etiam illorum otiosa.
 33. Item, qua extra hominem sunt in ejus usum producta providentie divine subjacent.
 34. Hieronymi & aliorum argumenta contra providentiam circa minima dilinuntur.
 35. Item objectio alia ab Huttero confutatur.
 36. Item, de fortuito humanarum actionum eventu, qui fortuna & casus tribuitur; ut lusus alex.
 37. Usus hujus doctrine de providentia circa minima, ex Melanchthonne declaratur, quo simul hac tractatio abrupitur & finitur.

§. 1.

§. I.

 se summum aliquod Numen aut primum
Ens , abs quo hoc universum dependet, o-
mnes cultiores gentes , & inter illas Philo-
sophi præcipue cognoverunt & prædica-
runt : inter Christianos autem de eo du-
bitare , temper nefas habitum est ; cum ^{αθεοτης} ma-
ximæ impietatis ac detestandum crimen sit, vid. Arnob. ad-
versus gentes , l. I. p. 18.

§. 2.

Numen vero divinum , aut potius Deum , univer-
sum , quod spectamus aut intelligimus condidisse , cum ex
ratione hominis etiam manifestum sit ; consequitur, il-
lud ab eodem etiam conservari atque gubernari : quia
absque hoc si foret , dudum concidisset. Id quod gentiles
ex admirabili constantique rerum ordine , qui in eo cer-
nuntur , observarunt , ac inde multis pasimque obviis testimo-
niis demonstrarunt , v. P. Dan. Huetii Concord. Rationis F
Fidei libr. II. cap. 6.

§. 3.

Qui autem inter profanos homines nomen DEI sto-
lide fastidunt , Naturam , primam rerum causam adpellare
solent ; per quam omnium rerum principium , a quo ea-
rum vis ac motus dependent , intelligent , necesse est.
Quid vero hoc aliud est , quam nomen DEI fastidire ? Et
cum ex hujus universi conservatione atque regimine DEI
providentia adpareat ; itidem illi , præterito DEI nomine ,
mundi animam confinxerunt . Quod commentum quam
absurdum sit , vel ex eo intelligitur , quod hac ratione

DEUS

A 3

DEUS mundi Causa efficiens, ejusdem pars fieret, ac ad eum
illo non esset prior.

§. 4.

Christiani ex divinis literis convicti, fide divina credunt, DEUM esse, universumque hoc gubernare atque
ejusdem curam gerere. Quæstio tantum inter quosdam mo-
ta fuit; an DEI providentia etiam ad minima, que in hac
rerum universitate sunt, aut accidunt, se se extendat?

§. 5.

Hanc questionem antequam discutiamus, e re nostra,
puto, erit, primum annotasse, quid DEI providentia sit?
Nemesius, egregius naturæ juxta ac pietatis antistes & Ec-
clesiæ Episcopus seculo post Christum natum quarto clara-
rus, elegantि libro, de NATURA HOMINIS Cap. XLIII.
duplicem ejus definitionem in medium ad fert. Una est,
προνοια τόννυ ἐγίνεται θεός εἰς τὰ ὄντα γινομένη ἐπιφύλεττα, h. c.
providentia est rerum a DEO suscepta procuratio: Altera,
προνοιαὶ εἴσι βάλησις θεός, διὸν πάντα καὶ τὰ ὄντα τὴν πρό-
Φορον διεξαγωγὴν λαμβάνει, h. e. providentia est DEI vo-
luntas, per quam omnia, que sunt, apte gubernat. Jo. Damas-
scenus hanc definitionem libr. n. de Orthod. Fide cap. 29. re-
petiit atque iisdem propemodum verbis, quibus Nemesius
usus fuerat, explanavit.

§. 6.

Nobis hæc posterior Nemesii definitio probatur,
quam ipse etiam citato loco declaravit. Quod si, ait, DEI
voluntas est providentia, necesse est, recta ratione (*καὶ θεο-*
προνοίατα) ἐτ DEO convenienter modo, ἐτ qua sola ratione
recte se habeant fieri, que sunt, neque melioris ordinis esse
capacia. conf. Damasc. l. cit.

§. 7.

Nempe tres aëtus providentia divina, præsupposita
rerum

rerum conservatione involvit formales ac proprios. Quorum primus est περίωντος, seu præscientia cūbaturonabōs sic dicta, qua D E U S omnia, quæ fiunt aut fieri possunt in hoc universo, prævidet, aut potius ēt τῷ νῦν intuetur, Act. XV, 18. Alter actus est Εὐλογία seu πρόθεση sive voluntas faciendi aut permittendi ea, quæ non sine ipsius concursu fiunt, Act. II, 23. Est enim voluntas D E I supposita prævisione, juxta Augustin. in Sentent. Prospere sentent. 58. prima & summa causa omnium corporalium spiritualiumque motionum. Tertius est διέταξις seu δίκαιος ipsa administratio & ordinatio rerum ad certos fines gloriae, sapientiae & justitiae suæ convenientes. Sapient. XI, 21. Genes. L, 20.

S. 8.

Per se hinc intelligitur, D E I providentiam, præsupposita creatione & rerum, conservatione, pro fundamento habere ipsius omniscientiam, voluntatem & omnipotentiam. Nisi n. ut Cyrilus Alexandrinus libr. X. in Johannem p. 859. loquitur, esset τῶν ὅλων ἴπτωτης, omnium seu universorum inspector, ac adeo omniscius; non posset curam omnibus rebus impendere: si non optimus & benignus, curam rerum ad suam beatitudinem nihil conferentium omitteret. Sinon omnipotens, universas res a se productas nec conserbare, nec pro sapientissimo nutu administrare aut gubernare posset. Ideo quorquot inter sapientiores gentiles D E I providentiam prædicarunt, has quoq; DEI proprietates & attributa agnovere. Laudatus Nemesis inde l. c. p. 340. seqq. scribit: D E U S bonus est solusq; sapiens. Quare quod bonus est, merito provideret; quod sapiens, sapienter & optime provideret. Si enim non provideret, non est bonus; si non recte provideret, non est sapiens, conf. Athenagore nostri de Resurrect. libellum p. 147 - 160. Sed certius de providentia divi.

næ indole literæ S. nos edocent, quando ejusdem plurimis
in locis mentionem faciunt atque commendant.

§. 9.

Evidem vocabulum *περιέντης*, seu *providentie*, quod
Sap. VI, 7. *cap. XIV*, 3. *XVII*, 2. legitur, in canoniceis scriptu-
ris κατὰ τὸ γέγραμτα rarius, quam κατὰ τὸν συναντούσιεν καὶ
τὴν διάνοιαν, seu quoad sensum occurrit: *Visionis* tamen
vocabulum, & quæ nomina similia, actus providentie pro-
prios notant, plurimis in locis habentur: ut *Gen. XII*, 11.
v. *XLV*, 5. seqq. *Deut. XXXI*, 19. 20. *Job. X*, 12. c. *XXXVIII*.
seqq. *Ps. XXXVI*, 7. *XXXIII*, 13. 14. *CIV. CXXIX. CXXXVIII.*
CXXXIX. I. Sam. XVI, 5. *Jes. XLIV*, 2. *XLV*, 1. *XLVI*, 9. 10.
Ezech. XX, 6. *Matth. VI*, 22. c. *X*, 29. 30. *Luc. XII*, 4. *Job. V*, 17.
Heb. I, 3. *Coloss. I*, 17. *Ephes. I*, 11. 12. 1. *Timoth. IV*. 1. *Petr. V*, 7.
Aet. XV, 18. c. *XVII*, 25. 28. quæ omnia de divina providen-
tia ejusque actibus aperte testantur.

§. 10.

Inter Latinos Patres veteris Ecclesiae, *Salvianus* Pres-
byter Massiliensis, Gennadio teste, humana & divina litera-
tura instructus, providentiam perspicue *libr. I. & II. de Gu-
bernatione DEI*, tum ratione, tum exemplis, tum testimonius
prolixè demonstravit, ac adversas profanorum hominum
voces improbas vindicavit. Ubi tamen notandum simul
venit, quod providentia hæc non sit in mente DEI discur-
sus, neque motus in voluntate ex actu & potentia ortus; sed
actus purus & simplicissimus, uno perpetuoque actu in-
tuens & gubernans omnes creaturarum motus tam spon-
taneos quam liberos, tam in hoc quam futuro seculo. v.
B. Hülsem, *Brev. c. IV.*

§. 11.

Philippus a Limborch inter Remonstrantes celeberrimi-
mus Doctor, *Theol. Christ. libr. II*, c. 25. §. 7. dubiam relin-
quit

quit quæstionem in scholis motam; an DEUS esse creaturum, quas produxit, conservet & permanere faciat, actione reali in illud immediate influendo? Sed Kiloniensium Theologus primarius optimeque meritus, Dominus D. Christ. Franckius, Præceptor meus cum observantia colendus, in Exercit. Anti-Limborchianis Exercit. II. c. V. hanc *in oxyn* accurate ex Coloss. I, 17, Hebr. I, 3, Rom. XI, 36, refutat atque concludit, DEU M secundum scripturam, influxu immediato conservare res omnes, alias absque eo si foret, illico perituras & relapsuras in nihilum.

§. 12.

Nobis de providentia DEI in genere his de ejusdem indole præmissis, aliis omissis, quæ in compendiis theologicis tradi solent, ad propositam supra quæstionem propius accedendum est; quippe quæ de *objeto ejus restringo*, circa quod versatur, tantum instituta fuit. Ubi quidem, si omnes res DEO sunt curæ, quas produxit, dubio carere videtur; an etiam illa ad res omnes singulas, viles, abjectas atque minimas extendatur. Qui enim omnia curat, ei maxima, minima curæ esse, negari nequit. Enimvero cum inter Philosophos olim gentiles, & inter ipsos Christianos etiam fuerint, qui hic scrupulos injecere, indignum divina majestate existimantes, statuere; DEI curam ad res quoque vilissimas aut levissimas omnes extendi; opera omnino pretium esse videtur, illorum sententias paucis hic attigisse, antequam hanc quæstionem discutiamus.

§. 13.

Nemesius de Nat. Hom. c. XLIV. triplicem distinguit Platonis in Sophista l. XV. providentiam: Plato, inquit, & universas res & singulas a providentia gubernari vult, providentisque rationem partitur in tria: Primam enim esse

B

prin-

principis DEI providentiam, quae primario quidem loco, ideis
deinde universo toti orbi consultit, ut cœlo & sideribus &
omnibus rebus universis, id est, generibus substantiæ, quanti-
tati, qualitatib[us] & aliis talibus, que ipsis subjecta sunt. Ortui
autem ignobiliorum animalium & stirpium & omnium qua
generantur ac corrumpuntur, secundos Deos, eos qui cœlum
dolvunt, prospicere: quorum ortum Aristoteles ad solum &
signiferum orbem refert. Tertiam Plato statuit providen-
tiam, penes quam sit administratio rerum agendarum & exi-
tus; itemque naturalium & fortuitarum bonorum, qua ma-
teria admixta & instrumenti locum obtinere dicuntur, atque
etiam eorum, qua bis ipsis contraria sunt adeptio. Huic pro-
videntia præcise censet certos quosdam dæmones circa ter-
ram, custodes humanarum actionum, ac secundam tertiam
que providentiam a prima proficiunt, ut potestate omnia a DEO
gubernentur, qui primas & secundas & tertias procurati-
ones constituit. Ubi quidem Eusebius de Preparat. Evan-
gel. I. XV. c. 5. id ipsum sensibile de DEI providentia Pla-
tonem existimat, quod Moses & Prophetæ. Enimvero
nihil divini scriptores de Platonicis ideis, de Diis inferiori-
bus ac dæmonum providentia a DEO illis commissa ha-
bent; quin potius DEU M, qui cœlum & terram replet,
Jerem. xiii. 24. & omnia verbo virtutis suæ, Ebr. i. 3. por-
tar, omnia gubernare solum docent; et si creaturarum aut
causalium secundarum quandoque ministerio utatur; illæ
tamen non absque concursu & directione DEI hac in parte
agunt. Videtur hoc quidem & Platonem significare vo-
luisse, DEO providentiam ἀνακατοπίν, Diis autem in-
ferioribus ac Dæmonibus velut διακονούμενος tribuens. Ve-
rum & hæc opinio fabulas redolet, & immediatam DEI,
in quo sumus, vivimus ac movemur, Act. XVII. 28. providen-
tia & administrationem excludit. Rectius M. Minucius

Felix

*Felix, in O. Havio p. 76. DEO una domus, est mundus hic totus.
Reges tantum regnisi per officia ministeriorum universa mo-
vere: DEO indicis non opus est; non solum in oculis ejus, sed
& in sinu vivimus. Unde Pontificii inepti sunt, quando
Sanctis & Divis in caelo, certas in mundo præfecturas assi-
gnant, quibus præsint; quos in Antibarb. Bibl. Sixtinus
Amama libr. III. ad Ps. CXXIX. p. 462. notavit.*

§. 14.

Melior tamen Platonis hac in parte sententia, ab Hierocle de Providentia explanata, fuit, quam Aristotelis & Stoicorum, ut enim ille rerum inferiorum & singularum curam procuratoribus certis adscribit; ita hos nullum locum providentiae circa has reliquissime; imo ut Nemesius l. c. loquitur, voluntates nostras libertate spoliatis constat. Democritus, Heraclitus & Epicurus illis deteriores, neque universis neque singulis a DEO provideri statuerunt. Nam et si Epicurus DEI existentiam non negavit; providentiam tamen ejus sustulit; quo ipso omnem religionem opprescit. Frustra enim metuitur aut colitur, qui nulla plane hominum cura tangitur, quod in effectu morali perinde est, utrum quis DEUM existere neget, an ab eodem humana curari. Quapropter hoc sensu etiam non immerito Epicurus atheis accensetur. confer Lactant. de Fals. Sapient. I. III. c. 17. & de Ira DEI, cap. 8.

§. 15.

Quod autem Aristotelem attinet, ejus sententia ex libro de Mundo ad Alexandrum c. VI, adduci solet. Ubi DEUM in summo cœli vertice collocat, cuius vicelum, & sol & luna proxime moveantur: unde cetera quæ itidem apta sint, per corpora illa interjecta transfusam in se causæ superioris efficientiam accipiunt. Qua ratione quidem Aristoteles (si quidem autor allegati libri est, de quo multi

eruditī dubitant) vim' operandi a primo motore corpori-
bus insitam esse faterur ; at illum adhuc ad eorum efficien-
tiam concurrere , & effecta regere , non asseruit . Hac de
causa Nemesius libr . cit . cap . 44 . p . m . 320 . scribit : Aristote-
lem negare rebus singulis a DEO consuli , aut easdem re-
gere : καὶ γέτες ἀριστοτέλης ὅπο της Φύσεως μόνης διοικοῦσθαι
βούλεται τὰ πάντα μέρη Θεοῦ , ὡς ἐν τῷ ἐκτῷ τῶν Νικομάχείων θεῖκῶν
ὑπαντιζετο . h . e . Nam Aristoteles a natura sola vult ad-
ministrari singula , ut in sexto ad Nicomachum obscure signi-
ficit . Inde humanae res , quæ abs hominis libera voluntate
tanquam causa dependent , a divina providentia restringe ,
juxta Aristotelem removentur . Id , quod mireris , etiam
Job . Damascenus libr . II . de ortb . Fide cap . XXIX . sensit . Er-
torem autem hunc Aristoteles Nemesius l . c . p . 322 . seqq .
egregie refutat : Cujus tamen interpretes hac in parte re-
stius philosophatos esse , ipsorum testimonii probari pot-
est . Nam Alexander Aphrodisiensis diserte scripsit in libro
de Providentia , quem Cyrillus Alexandr . contra Julianum
libr . II . s̄epius laudat , esse a DEO alienum , censere , res has-
ce inferiores curare ipsum nolle : & Ammonius in libr . Ari-
stot . de interpret . p . 94 . ait : ordinari a Diis que contingentia
sunt , & eorum exitum determinate cognosci . Diogenes au-
tem Laertius in vita Aristot . refert : DEI providentiam
coelestibus regionibus definitam atque immobilem ipsam
esse ; terrena porro confusione quadam & conspiratione
cum illis administrari . Ambrosius libr . I . de Offic . c . 13 . jux-
ta Aristotelem , usque ad lunam descendere ejus providen-
tiā , scribit . confer Athenagorae Apol . pro Christian . p . 234 .

§. 16.

Sed missis gentilium Philosophorum variis de provi-
dentia DEI circa res singulas placitis , inter Christianos ne-
mo ambigit , DEI providentia statim natura universum
conser-

conservari atque administrari, ut constanti ordine duret
ad extremum usque diem, qui omnia hauriet. Nam sen-
sus ipsi, si integri sunt, hominem convincunt, eum a D E O
regi Act. XVII, 27. Malo hoc M. Minucii Felicis in Octavio
p. 34. quam meis verbis id uberior declarare: Sacrilegii
enim, ait, vel maximi in se est, humi querere, quod in sublimi
debas invenire. Quo magis mibi videntur, qui hunc mundi
totius ornatum non divina ratione perfectum volunt; sed
frustis quibusdam temere coherentibus (Epicureos notat) glo-
batum; mentum, sensum, oculos denique non habere. Quid
enim potest esse tam apertum, tam confessum tamque perspi-
cum, cum oculos in coelum sustuleris, & que sunt infra supra-
que Istraveris, quam esse aliquod Numen prestantissime men-
tis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, guberne-
tur? coelum ipsum vide quam late tenditur, quam rapide vol-
vitur, vel quod in noctem astris distinguitur, vel quod in diem
sole iustratur: Jam scies, quam sit in eo summi moderatoris mira
& divina liberatio. Vido & annum, ut solis ambitus faciat:
& mensem vide, ut luna auctu, senio, labore circumagat.
Quid tenebrarum & luminis dicam recursantes vices, ut sit
nobis operis & quietis alterne reparatio? Quid cum ordo tem-
porum hoc frugum stabili varietate distinguitur? nonne au-
ctorem suum parentemque testatur? Ver aque cum suis flori-
bus & aestas cum suis messibus, & autumni maturitas grata, &
hyberna olivitas necessaria: qui ordo facile turbaretur, nisi
maxima ratione considereret. Jam providentia quante, ne biems
sola glacie ureret, aut sola aestas ardore torreret, autumni inse-
rere medium temperamentum, ut per vestigia sua anni rever-
tentis occulti & innoxii transitus laberetur. Mari intende, lege
litoris stringitur: quidquid arborum est, vide, quam e terre
visceribus animetur. Aspice Oceanum, refluit reciprocis aestibus:
Vide fontes, manant venis perennibus: fluvios intuere, cunct
semper

semper exercitiis lapsibus &c. tandem concludit; Nec universitate solummodo DEUS, sed & partibus consulit. Id quod Scriptor hic elegantissimus sequentibus paginis edidisse atque probat. Ante ipsum, Cicero l. 11. de Natur. Deorum, id quoque ex contemplatione cœli & astrorum constanti motu agnoscit. Origenes autem l. v. 1. contra Celsum p. 330. ex Apostoli Rom. xii, 26. verbis (quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia) hoc demonstrat: quibus ostendit, ait, principium subsistendi rerum omnium in eo quod dicit, ex ipso, conservationem autem cum ait, per ipsum; finem denique cum dicit, in ipsum. Egregie hoc Lutherus Tom. 2. Isleb. fol. 402, illustrat. Faciunt hoc plura S. Scripturæ testimonia, ut Ps. XIX, 1. seqq. CXLVII, 4. CIV. CXXXVI. Job. XXXVIII. & XXXIX. Es. XL, 22. &c.

§. 17.

Nemo etiam Christianorum curam DEI circa regna & res publicas, Act. XVII, 26. Dan. II, 21. Ies. XLV, 1. seqq. Rom. XIII, 1. in dubium vocat, aut Rerum publicarum varias conversiones, quæ ob peccata populi saepius accidunt, Prov. XXVIII, 2. divino fieri fato, negat, cont. Luther. Tom. 1. Isleb. f. 280. & Dannb. Theolog. conscient. tom. II. p. 48. & 170. 171. Multo autem magis DEO populum suum h. e. Ecclesiastim curæ esse, quod pars fidei Christianæ est, omnes profitemur. Magna sane hæc omnia divinæ providentiaæ documenta sunt, quæ qui non observat, is vacors sit, oportet. Inter nosstrates Dannhauerus loco jam citato, Dialog. IV. qu. 4. luculenter id demonstravit & illustravit: ut nostra hic opera opusnon sit, illa repeteret aut dilucidare,

§. 18.

Illud. præcipue hic expendendum nobis venit; quæ cura DEI circum minima sit, hoc est, viles, abjectas res, & quæ nullum usum homini adferre videntur? Hieronymus inter

inter Latinos Patres doctissimus, scrupulum hic non tan-
tum movit, sed & id aperte negavit. Ita enim verba ejus
in cap. 1. Habac. tom VI, opp. fol. 148. (Quare non aspicis su-
per contemptores, tacebis cum devoraverit impius justiorem?
Et facies homines quasi pisces maris, & quasi reptilia non ha-
bentia ducem) habent: Ceterum absurdum est, inquit, ad
hoc DEI deducere majestatem, ut sciat per momenta singula,
quot nascantur culices, quotve moriantur, quæ cimicu[m] &
puticum & muscarum sit in terra multitudo, quanti pisces in
aqua natent, & qui de minoribus majorum prede cedere de-
beant. Non simus tam fatui adulatores DEI, ut dum poten-
tiam ejus etiam ad ima detrabimus, in nos ipsos injurioli-
simus, eandem rationalium quam irrationalium providen-
tiā esse dicentes: ex quo liber ille apocryphus fluitie conde-
mnandus est, in quo scriptum est quendam Angelum nomine
Tyri praesse reptilibus: Et in hanc similitudinem piscibus
quoque & arboribus & bestis universis proprios in custodiam
angelos assignatos. Afferuerat ante Hieronymus DEI pro-
videntiam circa homines, & quæ hominibus in hac vita
accidunt; id vero absurdum & indignum DEO judicat,
curam ejus ad insecta prorogare velle.

Eodem cum Hieronymo errore Arnobius Afer imbu-
tus fuisse videtur. Nam libr. II. adversus gentes, cum an-
te DEI providentiam asterrisset, p. 75. querit: Sed quas
(animas) DEI negamus, cuius sint, debemus ostendere? Nihil
istud necessario sequitur. Non enim si negemus muscas, sca-
rabeos & cimices, nitedulas curculiones, omnipotens esse opus
Regis, sequaciter postulandum a nobis est, ut quis ea fecerit
institueritque dicamus. Possumus enim nulla cum reprehen-
sione nescire, quis illis originem dederit, & obtinere, non esse a
DEO a superiori prolatæ, tam supervacua, tam vana, tam ad
nullas

nullas pertinentia rationes; quin immo & aliquando noxia & necessariis importantia lassiones. Ubi Desiderius Heraldus Animadvers. p. 207. hæc animadvertisit: Hoc autem eodem tælo Marcionite DEUM Creatorem appetebant. Hinc Tertullianus adversus Marcionem libr. I. c. 17: His compressi erumpunt dicere; sufficit unicum hoc opus DEO nostro, quod hominem liberavit summa & precipua sua bonitate, & omnibus locustis anteponenda. Hec Marcionite, qui DEUM creatorem suggabant, ut vermium locustarum cimicorum &c. creatorem; Quid igitur in mente erat eruditissimo homini, qui locum istum emendare vellet? Hoc autem fuit & Valentini opinio & cæterorum omnium, Creatorem a summo DEO removere voluerunt. Opponit inde Heraldus Hieronymi locum ex proœmio in Epistolam ad Philemonem: Quod si non purant eorum esse parva, quorum & magna sunt, alterum mibi conditorem juxta Valentimum, Marcionem & Apellem formice, verminum, cuticum, locustarum: alterum cali, terre, maris & Angelorum debent introducere.

§. 20.
Errorem hunc suum fecit M. R. Maimonides, quando locum Habacuci in suo More Neop. part. II. c. 17. allegat ad probandum, DEUM quidem omnium irrationalium in universo curam gerere; sed non individuorum singulorum. Piscibus enim, inquit, & reptilibus dominatorem esse, negat Habacuc. Cui consentire videtur Thomas de Aquino in Summa sua Theologica part. I. quest. 23. artic. 7. Quem sectatus est ex Reformatis P. Molinæus in Anatome Arminian. c. III. §. 2. hunc refutavit J. Corvinus in Mala Encheiresci Novi Anatomici P. Molinæi p. 1.112.

§. 21.
Enimvero quod Hieronymum attinet, lapsum eum supra esse cum aliis, cum ex divinis literis, tum ex ratione illis

illis hac in parte congruente demonstrari potest. Christus enim *Matth. X, 30. Luc. XII, 7.* affirmat, hominum capillos capitum omnes ruminatos esse. Si autem DEUS curat capillos hominum, qui viliores sunt insectis; multo magis cura insectorum ipso non indigna erit. Christus etiam nos *Matth. VI, 28. 30.* docet, agrestium liliorum colores vel ornatum DEO curae esse. Quidni etiam insecta, quæ Hieronymus nominat; quippe in quibus vita & anima est, quæque in creaturarum a DEO productarum numero locum haben. Certe si his & similibus creaturis DEUS in poenam hominum utitur, ut Hieropsaltes *Pf. CIV, 31. 34.* attestatur; etiam eorum curam geret. Nam DEO cura est de omnibus, quæ fecit, pusillis & magnis, *Sap. XI, 21.*

S. 22.

Par ratio dubitandi alicui suboriri poterat de passerculis, de corvis rapacibus inutilibus, ut nobis videtur, avibus; Christus vero *Matth. X, 29. Luc. XII, 24. Job. XXXIX, 3.* & Hieropsaltes *Pf. CXLVII, 9.* illas aves etiam DEO esse curae testantur. In illo DEU \$ ipse apud Jobum, hanc curam suam ad meteorea, ad tempestates, ad animalium generationem & varia, quæ sub luna fiunt, extendi, gravissimis argumentis *cap. XXXVIII, seqq.* asseverat.

S. 23.

In promptu etiam sunt causæ non leves. Nemo etenim Christianorum facile inficias ibit, cimices, publices & muscas a DEO esse productas. Si vero DEO non indignum fuit, hujus gereris insecta procreare; minus majestate ejus indignum erit, eorum etiam ut aliarum bestiarum curam gerere. Nec, si maxime nos eorundem usum nesciamus; non tamen ideo frustra erunt. In statu integratis potuissent Protoplantis usum theoreticum, (ut & in horum insectorum formatione mirabili, quam microscopia

C

osten-

ostendunt, D E I potentiam & sapientiam contemplarentur) præbere. Post lapsum præter hunc usum, D E U S illis in poenam etiam hominum utitur, P. CV, 31.34. Urget hoc argumentum Salvianus L. IV, de Gubernat. D E I, pag. 77.78. edit Paris. Baluzii. Quid enim, ait, tam furiosum est, quam ut aliquis, cum D E U M Creatorem rerum omnium non neget, gubernatorem neget; & cum factorem esse fateatur, dicat negligere, quæ fecit? Quasi u. bcc ei faciendorum omnium cura fuerit, ut negligenter, quæ fecisset, &c. conf. Nemes. cap. XLIV, p. 332. Quin imo ipse Hieronymus alio loco, Epist. III. ad Heliodorum tom. 1. opp. f. 16. contemplandi & admirandi Creatoris in bestiis & insectis demonstratam sapientiam agnoscit. Ut enim Creatorem, ait, non in celo tantum miratur, & terra & Sole & Oceano, elephantis, equis, boibus, paridis, ursis, leonibus: sed & in minutis quoque animalibus, formica, culice & muscis, vermiculis & istiusmodi genere, quorum magis scimus corpora quam nomina, eandemque in cunctis veneramur soleritatem: ita mens Christo dedita aque & in malis & ioribus & in minoribus intenta est; sciens, etiam pro otioso, verbo reddendam esse rationem.

S. 24.

Nemesius inde eos, qui curam D E I circa res singulares & minimas negant, absurditatis convincit tribus potissimum de causis, cap. XLIV. p. m. 328. seqq. Aut D E U M ignorare ait, rectum esse, etiam iis consulere; aut nolle, aut non posse. Primam causam ideo statim removet; quia DEUS est omniscius & sapientissimus; ita, ut non species tantum omnium rerum, sed individua quoque omnia cognoscat atque conservet. Altera causa, quæ voluntatem DEI attinet, dicit, hanc negari debere, aut dicit non possumus ob ignorantiam, aut dicit non possumus, quod indecorum sit: Prius qui asserat, eum insanire ait; cum causa ignaviae, h. e. voluptas & ti-

& timiditas, in DEUM non cadant: imo neutrum horum
de DEO vel suspicari homines sanæ mentis posse. To^r
d^ηπ^ηγε^τes vero, seu indecorum, (ac si indignum sit divina bea-
titudine, ad res viles & minutas se demittere, & corporeis ex
nostra que electione & voluntate provenientibus ineptis
velut profanari, ac ideo providere nolle) itidem accurate
diluit, turpis ignorantia tales αστροφ^ης arguendo; cum
DEO duo μάλη τὰ χειρίστα affectiones vitiosissimas, hac
ratione tribuant; nempe υπερχωψίαν, superbiam, & μαλυτιάν,
inquisitionem. Absurdissimum enim est tales ob causas,
singulas & viles infra DEI curam ponere; quas tamen ipse
producere dignatus est. Nec enim DEI eminentiam res
tales inquinare posse, similitudine convenienti, declarat:
quod sicut Sol eusque radii lutum collustrantes, ab omni
sorde puri maneant; ita DEUM quoque ab omni macula
& sorde semper immunem esse, etiam quando res abjectissimas
conservat atque curat. Quapropter p. 332, subdit:
Non sunt hæc hominum dogmata, qui DEI naturam perspectam
habeant. Nam in DEUM neque tactio, neque interitus, nec
macula nec commutatio ulla potest cadere; quia nempe spiri-
tus est. Tertia causa, quæ potentiam DEI attinet, hanc
DEO in actu providentiae circa minima denegare, effet eum
imbellicem ac ad bene operandum impotentem afferre: utrum-
que vero absurdum valde esse, idoneis itidem rationibus Neme-
sius cit. loc. demonstrat, conf. Clement. Alexandr. l. VII. Stro-
mat. f. 702. it. 704.

§. 25.

Augustinus inde potius, quod DEUS etiam minimas
bestiolas aut insecta cureret, ejus potentiam & sapientiam
agnoscendam & prædicandam censet. Ita enim Enarrat.
in P. CXLVIII, tom. VIII, opp. f. m. 378. f. 2, scribit: Atten-
dat charitas vestra: Quis disposuit membrapublicis & culicis,

ut habeant ordinem suum, habeant vitam suam, habeant mem-
tum suum? una m bestiolam brevem minutissimam considera,
quam volueris: Si consideras ordinem membrorum ipsius &
animationem vitae, qua moveatur, ut pro se fugiat mortem,
amet vitam, appetat voluptates, devitet molestias, exerat
sensus dieris, vigeat in motu sibi congruo. Quis dedit acu-
culeum c' alici, quo sanguinem sugat? Quam tenuis fibula est,
qua sor' oet? Quis disposuit ista? Quis fecit ista? Expade-
scis in minimis? Lauda magnum. Hoc itaque tenete fra-
tres mei, nemo vos de fide excusat & desana doctrina. Qui
fecit in celo Angelum, ipse fecit in terra vermiculum; sed An-
gelum in celo pro habitatione celesti, vermiculum in terra pro
habitatione terrestri. Nunquid Angelum fecit repere in caeo
& vermiculum in celo? Distribuit sedibus habitatoribus,
an corruptionem incorruptis sedibus dedit, corruptibilia in lo-
cis corruptibilibus. Totum attende, totum lauda.

S. 26.

Quo ipso etiam Plinii profanâ sententia concidit, qui
libr. I. H. N. c. 7. existimat, divinam majestatem pollui, si
res humanas vel abjectas curet. Non intellexit ille, omnia
a DEO dependere, conservari, ac sapientissima ratione re-
gi, atque ad fines destinatos dirigi. Jam vero ex Nemesis
demonstratum est, DEI sapientiam, bonitatem ac poten-
tiam magis cura rerum inferiorum & vilium manifestari,
quam si hac abjecta, tantum celestium curam gerere dic-
atur. Quod enim producere divina majestati minime in-
conveniens fuit; id nec illam imminuet, si a conditore sum-
moque opifice curetur ac gubernetur; et si vile nobis vi-
deatur. Sapientiae divinae rationes, quas penetrare non
possumus, pie admirerur; cum illa etiam in minimis elu-
ceat, quam curiosi naturae rerum indagatores passim anim-
advertiscant & mirantur,

S. 27.

§. 27.

Firmum igitur ratumque manet, sive S. Scripturam, sive rationem humanam respicimus, res minimas etiam aequiles DEO curæ esse. Quare opus haut fuerit, Patrum aut Philosophorum, quorum plurima exstant, testimoniis id corroborare: insignem tamen ex *Cyrilli Alexand. l. IX. in Johannem f. 793.* locum, quo Apostoli verba *Act. XVII. (in ipso vivimus, movemur & sumus)* illustrat, adscribere juvat: Cuncta enim, dicit, vivificat, cum secundum naturam vita sit, omnium opifex, proprietatis sua vim inexplicabili ratione innfundens. Non enim aliter conservari & in eo, quod sunt, retineri ea poterant, quæ ortum e nibili fortita sunt. Alioquin statim ad propriam naturam, b.e. nibilum rediissent; nisi necessitudine ipsa, quam cum eo, quod est, habent, ortus sunt naturam superarent. Lutherus noster, quando providentiam DEI omnium rerum aspectabilium conservatricem *Tom. II. Isleb. f. 402.* prædicaverat, subdit: Wenn Gott seine Hand gehen ließe und abzöge / so würde Haus und alles gar bald in einander fallen. Aller Engel und Menschen Ges walt und Weisheit vermögt sie nicht in ihrem Wesen einen Augenblick zu erhalten/ die Sonne würde nicht lange am Himmel haften und leuchten / kein Kind würde gebohren / kein Körnlein / Gräzlein / noch nichts würde wachsen aus der Erden / noch sich erneuern / wo Gott nicht für und für würcket. Eandem Ambrosius *tom. IV. opp. libr. VI. Hexaëm. c. 4. circa* animantia bruta docet: Omnia, ait, penetrat divina sapientia, implet omnia, idque locupletius ex irrationalium sensibus, quam ex rationabilium disputatione colligitur. Validius est enim naturæ testimonium, quam doctrina argumentum. Cuique animanti cognitum est, quemadmodum suam tueatur naturam. Si vicius suppetit, resistendo; si velocitas, fugiendo, si astutia præcavendo. Quis eos usum edendit, berbarum-

que docuit habere notitiam? Homines sumus & saepe specie
herbarum fallimur, & plerasque, quas salubres putamus, noxias
reperimus, &c.

§. 28.

Nunc si quæ ad salutem animæ in regno gratiæ occur-
runt divinæ providentiæ ~~terrena~~ circa minima, explicare
hic liceret, copiosa nobis differendi materia suppeteret. Unic-
um tantum ex Matth. V, 18, notare juvat: ubi Christus pro-
videntiam suam circa legem DEI prædicat, quando negat,
quod ne iota unum, *nihil negat*, aut unus apex ex lege præ-
terire possit. Unde hoc, nisi a singulari divina cura circa mi-
nima? Quia vero omnia, quæ spectamus in hac aspectabili
universitate, in usum hominum a benignissimo Creatore
producta sunt, quippe quorum curam gerit majorem, quam
aliarum creaturarum, Matth. VI, 26. Mare. IX, 9. I. Corintb.
IX, 10. hic non illa majoris providentiæ documenta, quæ
curam DEI singularem circa homines loquuntur, allegabo
aut describam; (fecit id luculentissime B. Dannbauerus su-
pra laudatus in Theol. Cons. tom. II, Dial. IV. Quid agat
DEUS p. 699. seqq.) sed minima tantum quædam, quæ cu-
ram Dei circa homines eorumque actiones leviores lo-
quuntur, velut exempli loco, paucis recensebo atque dilu-
cidabo; ut divinæ providentiæ majestas patescat magis &
celebretur.

§. 29.

Non adducam mirandam minimarum in homine
partium in utero formationem, Job. X, 10. 11. 12. quam pe-
riti & solertes anatomici non sine admiratione in cadave-
rum sectione demonstrant: lineamenta ego in facie homi-
nis diversa, quæ divinæ providentiæ singulare documen-
tum præbent, hic tantum notari velim, ut rem vulgi jüdi-
cio levissimam. At, si illis, mortales invicem non di-
stinxisset

stinxisset Creator sapientissimus ; homines se invicem discernere nequirent. Quod tamen in humana societate, in quotidiano convictu & commerciis humanis vel maxime necessarium est ; ne confusio vel sexus , vel amicorum & hostium , vel officiorum ex lineamentorum & formæ similitudine oriatur. Declaravit hoc divinæ providentiaæ sicut Nemesius de Nat. Hom. c. XLII. p. 311. seqq. Et S. Iobus cap. X. v. 10. 11. formationem hominis in utero describens indicavit, ac inde meditandi causam homini , si semetipsum intuetur , præbuit.

§. 30.

Deinde, quid vilius vulgo videtur lacrymis hominem? Sed illas etiam , quas fideles fundunt, in numerato DEUS habet, inque saccum , velut vinitor guttulas aquarum sub torculari pressas diligenter in utres colligit ; ne vel una pereat, Ps. LVI. o. inde Hesychius in hunc locum scribit: *Μανάζοι, ὃν ὁ Θεὸς τὰ δάγκωα δέχεται, beati quorum lacrymas* D'E U S admittit : consolatur enim illorum passiones , quemadmodum per propriam promissionem pollicitus fuit : que autem haec promissio ? Beati qui lugent , quoniam ipsi consolabuntur, Matth. V. 5. Corderius in catena Patrum Graecorum in Psalm. tom. II. fol. 102. annotat : *Habet nimirum suum codicem DEUS utraque pagina constantem , in quarum altera peccatoris crimina , in altera ipsorum lacryma pro illis fusæ e regione scriptæ sunt , ut collatis subductisque calculis rationes conficiantur.* Sed ne nostrum id inventum videatur , audi Davidem , bunc librum utraque instructum pagina adornantem : alibi enim ait, posuisse iniquitates nostras in conspectu tuo, Psam. LXXXIX, 8, hic vero de paenitentie ac lachrymarum pagina addit.

§. 31.

Quantus humanarum cogitationum vanissimorum

ac

ac vilissimarum numerus ac varietas vel in uno homine sit, nemo cogitando assequi valet. Has autem DEUS non tantum elonginquo omnes videt, sed dirigit etiam. Quare Hieropsaltes in hac contemplatione defixus, admirabundus *Ps. CXXXIX.* providentiam DEI circa minutissima depraedicat: *Tu cognovisti sedere meum & surgere meum; intellexisti cogitationem meam elonginquo, viam meam & locum quietis meae cinxisti, & omnibus viis meis assuescisti. Non enim est verbum in lingua mea, quod ecce Jehova non noveris omne. Inde vers. 6. exclamat: mirabilis est scientia praeme; aleior est, quam ut sufficiens sim illi, &c.* Meretur B. Geieri explicatio in comment. in Psalm. hunc legi, & quem ostendit, usus practicus hujus Psalmi simul attendi. DEUS quippe non tantum futura omnia, sed &, quæ hac vel illa conditio ne adimpta, fieri possent, et si nunquam fiant, (futurabilia Scholastici vocant) novit, i. *Sam. XXIII. 10. Matth. XI. 13. c. XI. 21. Act. XXVIII. 31.* Quia etiam futura contingentia prævidet: unde disputatio inter Scholasticos de Scientia DEI media, orta, quam B. Hulsem. noster Breviar. c. IV. sup. plem. §. 5. 6. 7. 8. 9. discussit,

§. 32.

Deinde verba hominum otiosa, quis numeret, aut non ut vilissimas ac scurriles contemnat nugas? Christus autem *Mattb. XII. 36.* nos docet, DEUM illa attendere: *Dico autem vobis, inquit, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Quod tamen non de fidelium verbis, quæ iis sæpius etiam excidunt, & cito, aut inutilibus intelligi poterit; ac si hæc quoque in extremo judicio examinanda & publicanda forent.* Quæ enim DEUS peccata homini in hac vita serio poenitenti remisit, ea iterum in die judicii extremi examinatum iri, non sit verisimile. *conf. Hulsem. Breviar. cap XVI. §. 29.*

§. 33.

§. 33.

Quæ extra hominem, in ejus commodum & usum a DEO in regno naturæ, ut vocant, producta sunt, multa hominibus præsertim profanis videntur minima aut abjecta ac infra curam DEI posita. Hos vero regius Propheta Ps. CIV. melius erudit, quando providentiam circa hujus generis, quæ videntur, res viliores commendat v. 10. seqq. & 24. 25. Quam multa sunt opera tua, JEBORAH, quæ omnia in sapientia fecisti? plena est terra possessionibus tuis. Jam quod ad hoc mare magnum & latum spatiis: ibi est reptile, cui non est numerus, animalia parva cum magnis, &c.

§. 34.

Non obstat ergo, ut putatur, providentiaz huic, quod Hieronymum olim offendit, locus Habacuci cap. I, 14. Quare facies hominem sicut pisces maris, sicut reptile, cui non est Dominus? ut omnes homo quis extrahat & congreget in rete suum, &c. Non enim his verbis Propheta DEI providentiam in dubium vocat; Sed opinionem vel tentatorum vel profanorum hominum exprimit; qui cum judicia DEI etiam justos premere videant, quando DEUS in ira sua aliquando populum visitat, cogitare incipiunt; homines non magis DEO curæ esse, quam pisces maris aut reptilia terræ, quæ sine rectore & domino vagantur. Propheta enim non negat DEUM ulla piscium aut reptilium cura tangi; sed tantum innuit, quod hæc animalium genera non habeant rectores suos, ut homines in societate civili degentes. Sicut Apostolus I, Cor. IX, 9. quærerit: Nunguid debobus cura est DEO? ubi non negat, curam DEI etiam ad boves pertinere; sed innuit, quod DEUS homines magis, quam bruta animantia condita isthac lege Deut. XXV, 4. respexerit. Nam si boves in hominum usum Deus creavit, eorum curam gerat, necesse est; licet non æquali modo. Magis enim propicit hominibus, præsertim piis, in vita ingressu, progressu & egressu, quam brutis animantibus, aut aliis rebus, p. CXLV,

D

204

20. Matth. VI, 28. X, 30. 1. Petr. V, 2. Conf. D. Job. Schmidii Com-
mentar. in Habac. loc. cit. p. 1075. seqq.

§. 35.

Frustra etiam objicitur apud Hutterum *LL. comm. Theol.*
de provident. qv. 2. DEUM multos homines dimittere secun-
dum desiderium ipsorum, ut abeant in adinventionibus suis,
A&b. XIV, 15. Ps. LXXXI, 13. item, Deum reliquise hominem in ma-
nu consilii sui, *Eccles. XV, 14.* unde colligi posse videtur; si pro-
videntia DEI circa homines cessat, multo magis circa res mi-
nimas & abjectas cessabit. Enimvero D. Hütterus *f. 225.* re-
sponder: *DEUS non ita permittit, quosdam abire secundum*
desideria ipsorum, ac si nullam prorsus ipsorum amplius cogitatio-
nem habeat; sed potius ita permittit ipsos abire in adinventioni-
bus suis, ut tanquam iustus judex in vindictam antegreffe inex-
pugnabilis contumacie, gratiam suam ipsis substrahat, ut cupidita-
tes ipsorum pravae frenet, coercent ac ad finis certos & glorie sue
subservientes dirigat & tandem in eternum ipsos puniat. Quod
fol. 228. ubetius declarat, & *fol. 799.* rationem reddit, cur per-
vicaciter contumaces gratia sua deserat: *Hi ergorebrobi, ait,*
quia de facto nunquam erant convertendi; frustra etiam futu-
rum esset, si gratiam, quam non erant acceptaturi, illis offerretur;
imo hoc casu non ultioris tantum justissime, sed suo modo miseri-
cordiae potius in eo opus est, NB. non offerre gratiam. Nam oblatam
gratiam contumaciter respundo gravius peccaretur: Et hoc est il-
lud, quod Es. XXVI, 10. dicitur: Miscreamur impio & non disce-
justitiam facere; vel gratia offeretur impio, nec tamen disceit ju-
sticiam, &c.

§. 36.

Præterea in regno naturali, in vita sociali atque com-
mèrcio humano plurima occurunt, que infra curam DEI po-
nuntur: illa, inquam, hic distinctim exponere jam non vacat.
Vulgus ista fortunæ & casui tribuere solet; cum tamen in re-
gno providentia nullus sit fortunæ locus, quod *Dannhauerus*
Hodo-

Hodosoph. Phenom. III. p. 316. demonstrat. Exempli loco hic sit Iesus aleæ, aut similis generis: de quo dubitatur; an in hoc etiam providentia divina concurrat; ita, ut illa dirigente aliqui Feliçes, aliqui infelices sint; an vero id fortuna aut casu tantum accidat? Nos omissa hic quæstione, de moralitate lusus in genere; (cum utique fieri queat, ut lusus aliquando inter licita referatur; puta, si sine temporis ad res meliores aut necessarias impendendi jactura, animi causa, refocillando fesso spiritui, & absque lucri cupiditate ac scando fiat) respondemus providentia divinæ actum hic non posse excludi. Quia illa etiam hominum actus mali & peccaminosi ad certos fines diriguntur. Sive ergo lusus genera inter licita, aut illicita censentur; certum est, DEI providentiam intercurrere, quæ aleatorum aut lusorum actiones regat. Si dicas, DEUM permettere illos cupiditatibus suis, ac adeo non curare has illorum ludicras actiones; reponimus etiam DEI permissionem circa mala non esse otiosam in circumstantiis determinandis ad certum finem. Id quod D. Hutterus *LL. commun. de Providentia quaest.* III. f. 228. & D. Jar. Martini *Part. II. Disput. Theol. Scholast.* Disp. xxii. p. 43. seqq. accurate docent. Quo ipso tam negare nolumus, Dæmones etiam actionibus lusorum præfertim vocatos intervenire, ac incitare eorum lucrandi cupiditatem, ut ad jurgia ad rixas, pugnas & deinde etiam ad cædes profliant. DEO enim permittente, Diabolus ejusmodi homines ludit & miseris deinde illudit, si pecuniam perdidierint, ac sæpius inde misere doleant, vel imprudentiam deplorent suam. Quapropter rectius Christiani faciunt, si a lusu abstineant, animoque suo reputent, [DEUM odisse & adversari istos temporis, meliorum curarum, salutisque animæ non incuriosos modo, sed & prodigos mortatales. Christiano certe nunquam deest, quod agat in laudem Creatoris & Redemptoris sui, unde major puriorque voluptas animi capit, quam ex incerra lucri spe aut lucro injusto, quo lusores quandoque potiuntur.

§ 37-

§. 37.


Caveamus ergo mala, quæ minima videntur, facere: quia DEUS videt, & judicat. Attendamus vero minima, quæ DEUS produxit, ut nos DEO curæ esse, firmius credamus. Christiani certe officii pars non postrema est, mirandam DEI providentiam subinde animo expendere, atque cum minima, quæ nos contemnimus, ipsi curæ sint; cogitemus nos & nostra omnia, minima, maxima DEUM magis curare, Matth. VI, 26, Luc. XII, 22, seqq. ita, ut nobis sive prospera, sive adversa accidant, divina isthac providentia adgubernante fieri: quæ efficit etiam ut diligentibus DEUM, omnia simul adjumento sint ad bonum, Rom. II, 28. Corporalia quoque bona, quorum eura maxima pars hominum angitur, non coeca manu, ut Sene- ea putavit, spargi; sed consilio DEI, et si non æqualiter distribui, Melanchthon in Explicit. Evang. Domin. part. II, p. 199, seqq. pie docet: Sic Jeremias inquit, cum de bonis corporalibus tum de calamitatibus: quis est ille, qui dicit bona & mala non venire a DEO? & Sophonias minatur: Dominus veniet & accensa face circumibit, & queret eos qui dicunt, Dominus neg. bene neq. male faciet, i. e. qui sunt Epicurei deridores, qui docent, quod DEUS neq. bona neque mala det. Est pulchra (pergit Melanchthon) imago in Sophonia. Ego ante 25. annos semel citabam hoc dictum Norimberga in convivio & assiduebant nobis senes, qui admodum delectabantur hac sententia, & curabant adferri Biblia, & petebant sibi monstrari eum locum. Monet inde auditores suos Melanchthon; Debetis esse, instructi multis talibus dictis, ut affersonem confirmetis. Nos senes experimur re ipsa. Scio, quod DEUS me sustentavit mirabiliter; & tamen difficultis est affersio in omnibus: cogitamus, ista sunt tua diligentia, vel calu ver naturæ ordine. Nos debemus credere voci divine, & simul facere, quæ sunt vocationis cuiusque. Quòd pio Melanchthonis monito hanc dissertationem finio, DEUM Patrem in Christi nomine precatus, ut in omni afflictionum genere, curæ nos sibi esse finat atque æternum beat.

S. D. G.



DIESER
HANDEL

DFG



19.
Q. D. B. V.
De
PROVIDENTIA DEI
CIRCA
MINIMA,
DISSERTATIO THEOLOGICA,
in Academia Lipsiensi,

MODERANTE
DOMINO
D. ADAMO RECHENBERGIO,
Theol. Prof. Primar. Capituli Misen.
ingenui Canonico, Alumn. Elect. Ephoro,
Academ. Decemviro, & maj. Principp.
Colleg. Collegato,

D. III. April.

H. L. Q. C.

P. P.

JOH. JOACHIMUS GROT,
Bargtheylensis Holsatus.

LIPSIAE,
TYPIS BRANDENBURGERIANIS.
Anno 1710.

